
ANNUS POST CHRISTUM NATUM 401.

COSS. IN OCC. VINCENTIO CELSO, IN OR. FRA-
VITA. IND. XIV.

1. Natus est Arcadio Theodosius junior Con-
stantinopoli 3 Id. Aprilis, (Cf. a. 403, 2) et in-
travit Alaricus in Italiam. Cusp. Marc.

2. Caput Gainae, hastili praefixum, Con-
stantinopolin allatum est *a*). Marc.

3. Maris Ponti superficies ita gelu frenata
est, ut per triginta dies soluta tandem glacies,
instar montium per Propontidem superne por-
tata, decurreret. Marc.

4. Johannes Constantinopolitanus et Theo-
philus Alexandrinus episcopi clari habebantur:
sed utrumque obscuravit discordia, quae eo us-
que processit, ut Johannes, a Theophilo oppres-
sus, Pontum in exilium pergere cogeretur; cum

a) Secundum Chronicon paschale 3 Non. Januar.

tamen communionem ejus maxima pars episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, servavit. Prosp. Aq.

5. Contentio ex doctrina Origenis Synodum apud Alexandriam movit, cujus extitit sententia, ut extra ecclesiam fieret, quicumque supra dicti viri opera probavisset *b*). Prosper Tiro.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 402.

COSS. IN OCC. HONORIO V., IN OR. ARCADIO
V. IND. XV.

1. Pollentiae *a*) adversum Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est. Prosper Aq. Pollentiae Stilichonem cum exercitu Romano Gothi victum acie fugaverunt *b*). Cass.

2. Theodosius junior in loco, quo pater patruusque suus, Caesar creatus est *c*). Marc. cf. a. 403, 4.

b) Cf. Schroecks Kirchengeschichte X. p. 227.

a) In Alpibus Cottiis.

b) Cf. de dubia pugna Orosius VII., 37. p. 567. ed Haverc.

c) Teste Chron. pasch. 4. Id. Januar.

3. Constantinopoli ingens terrae motus fuit.
Fst. Idat.

4. Solis facta defectio 3 Id. Nov. feria tertia.
Pr. Tiro. Idat. Chron. et Fsti. Cf. a 403, 5.

5. Romanae ecclesiae XXXVIII. praeest episcopus Innocentius annis quatuordecim. Prosper Aq. vixit annis quindecim *d*). Marc.

6. Augustinus plurima libris innumerabilibus disserit. Prosper Tiro.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 403.

COSS. IN OCC. RUMORIDO, IN OR. THEODOSIO
JUN. IND. I.

1. [Eudoxiae, Arcadii uxoris, statua super porphyreticam columnam posita est *a*). Prosp. A.] Eudoxiae, Arcadii uxoris, super porphy-

d) Vide Pagium ad Baron. a. 402 §. 19 et a. 417 §. 4. 5.

a) August. Codex haec omittit, ponit autem ista: Carthaginense concilium habitum de Donatistis. Utrumque sine dubio interpolatum. Roesler.

reticam columnam statua argentea juxta ecclesiam posita, hactenus sistit *b*). Marc.

2. Theodosius, Arcadii filius nascitur. Idat. Chron. Cf. a. 401, 1.

3. Marina patri Arcadio nata est 3 Id. Febr. *c*). Marc.

4. Theodosius levatus est Imperator 4 Id. Januar. Cuspin. Cf. a. 402, 2.

5. Solis facta defectio 3 Id. Nov. Fast. Id. Cf. a. 402, 4.

6. Severus, ex disciplina Sancti Martini, ejus vitam tribus explicat libris. Pr. Tir.

7. Johannem, Constantinopolitanae civitatis episcopum, cui supra dicti (cf. a. 398, 5) sex antistites incassum aemuli fuere aliosque triginta sibimet episcopos conscivere, volente (Roncall. nolente) Arcadio principe, in Cucusum, Armeniae oppidum, exulem miserant eumque post annum in villam, quae Comana in regione Pontica

b) Cf. Sozom. VI., 20. et Socr. VI., 18. Hoc seculo statuas Imperatoribus, in oriente maxime, ingenti passim et sumtu et adulatione erigi solitas, docuit Gothofredus in Comment. ad leg. 1. Cod. Theodos. de Imagg. Imperr. Quomodo vero haec Eudoxiae statua indignationem ejus adversus Chrysostomum auxerit, narrat Theophanes. Roesler.

c) Secundum Chron. pasch. 4 Id. Febr.

dicitur, de exilio in exilium relegarunt. Hunc ibidem mortuum religiosa orthodoxorum plebs in atrio Basilisci episcopi Sancti itemque martyris, ab eodem martyre in somnis admonita, in novum moxque repertum sepulcrum recondidit. Marc.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 404.

COSS. IN OCC. HONORIO VI., IN OR. ARISTE-
NAETO. IND. II.

1. [Eudoxia, uxor Arcadii, diem clusit. Pr. Aq.] Eudoxia, uxor Arcadii, diem obiit *a*). Marc.

2. Saeva Italiae barbarici motus tempestas incubuit, siquidem Radagaius, rex Gothorum, Italiae limitem vastaturus transgreditur *b*). Pr. Tiro. Cf. a. 400, 1.

3. His Coss. bellum civile fuit ex 3 Cal. Sept. *c*). Fst. Idat.

a) Secundum Chron. paschale 4. Id. Oct., confirmante Eunapio apud Photium cod. 77. Roesler.

b) Plura dabunt Isidorus in Hist. Gothorum ad a. 399 et 405 et Zosimus V., 26, 4.

c) Intelligitur sine dubio tumultus, Constantinopoli ex causa Chrysostomi natus.

4. Ex quo Radagajus Italiam vastabat, Ariani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, praesidio erigi coepere. Pr. Tiro.

5. In Constantinopoli Johannes episcopus praedicatur insignis, qui ob fidem Catholicam Eudoxiam, Arcadii uxorem infestissimam patitur Arianam. Idat.

6. Ecclesiam Constantinopolitanam flamma ignis, quae de b. Johannis throno, [quondam episcopi,] nata fuit, subito conflagravit vicinamque ecclesiae urbis faciem serpens nihilominus exussit *d*). Marc.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 405.
COSS. IN OCC. STILICONE, IN OR. ANTHEMIO.
IND. III.

1 Radagaisus (al. Rhadagaius), cujus in tres partes per diversos principes divisus exercitus aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem,

d) Incensum fuisse a Chrysostomi asseclis templum simulque Curiam, in qua senatus haberi soleret, conflagrasse claris verbis testantur Socrates VI, 18 et Chron. Alexandr.

Stilicone ducente exercitum, superatus et occisus est. Pr. Aq. et Tiro. Ibi, ut scribit Aq. multa millia Gothorum caesa, ut refert Tiro, tertia pars hostilis exercitus, circumactis Hunnorum auxiliaribus (al. auxiliis) insigni triumpho ad internecionem deleta est *a*). Pr. Aq. Cf. a. 406, 4. 5.

2. Isauri, per montem Tauri discursantes, ingens dispendium Reip. importarunt: quibus Narbazaicus (al. Narbaziacus) legatus majus continuo rependit incommodum *b*) Marc.

3. His Coss. inter Catholicos et Donatistas unitas facta *c*). Fst. Idat.

a) Fusa rem narrat Orosius VII., 37. p. 567 coll. Claud. car. 3, 349. ed. Gessner.

b) Superiori jam anno coeptae hae grassationes pro eo, quod apud Zosimum V. 25. legitur. Cf. lex 7. cod. Theodos. de quaest. cum commentar. Gothofredi. Apud Zosimum dux ille dicitur Arbazacius. Roesler.

c) Seu potius poenarum severitate multis extorta. Prodiit etiam edictum de Unitate, quod cod. Theodos. XVI, 11, 2. legitur et eodem libro, tit. 5. et lege 3. Ne baptiz. comprehensum videtur. Roesler.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 406.
 COSS. IN OCC. PROBO, IN OR. ARCADIO VI.
 IND. IV.

1. Vandali et Alani, Gallias, trajecto Rheno, pridie Cal. Januar. (Ms. August. 3 Cal. Januar.) ingressi sunt *a*). Pr. Aq. Cass.

2. Arcadius, Orientis imperium gubernans, vitam explet, parvum admodum Theodosium filium successorem reliquens. Pr. Tiro. Cf. a. 408, 1.

3. Theodosius junior Quinquennalia dedit *b*). Marc.

a) Hos quidem Godegislo duce usos esse multi putarunt, ut Sigonius cum aliis. Gibbon VII. 292. not. 86 et nonnulli recentiorum reliquias fuisse credunt exercitus Rhadagaisi: sed his non adsentire videntur veteres. Nihil superfuisse de illo populo pronuntiavit Orosius VII., 37. qui de hac irruptione ita: „Interea, inquit, c. 40. ante biennium Romanae irruptionis excitatae per Stiliconem gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multaeque cum his aliae; Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt directoque impetu Pyrenaeum usque perveniunt, cujus obice ad tempus repulsae per circumjacentes provincias refunduntur. „Isidorus in Hist. Vandalorum illud ad tempus explicat: ab Hispania tribus annis repulsi. Roesl.

b) Ad annum sequentem, a consulatu argumentum petens Pagius tranfert. Adde Chron. paschale ad a. seq. Roesler.

4. Rhadagaisus paganus et Scytha cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundavit. Marc. Cf. a. 405, 1.

5. Huldin et Saurus (al. Saxus), Hunnorum Gothorumque reges, Rhadagaisum continuo devicerunt, ipsius capite amputato, captivos ejus singulis aureis distrahentes *c*). Idem. Cf. a. 405, 1.

6. Coelestinus XXXVIII. Romanam ecclesiam gubernavit *d*). Pr. Tiro.

7. Hierosolymis Johannes, Caesarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus, qui supra, episcopi habentur insignes. Idat.

8. Hieronymus, presbyterio praeditus, in Bethleem Judae vicinia consistens, praecipuus habetur in cunctis. Idat. Cf. a. 385, 3.

e) Praeter Orosium jam laudatum cf. est Jornandes de regnorum successione, qui, fortasse e communi fonte cum Marcellino hauriens, eadem verbis iisdem refert.

d) Vehementer errans sive librarius sive interpolator Coelestinum Papam hujus anni facit. Cf. a. 423.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 407.
COSS. IN OCC. HONORIO VII., IN OR. THEODO-
SIO II. IND. V.

1. Constantinus, ex infima militia ob solam speciem nominis, *a*) in Britannia tyrannus exoritur et ad Gallias transit *b*). Pr. Aquit.

2. Diversarum gentium rabies (Imperium, quod deesse videtur) dilacerare exorsa, immissu quam maxime Stiliconis, indigne ferentis, filio suo regnum negatum. Pr. Tiro.

3. Cisterna maxima juxta porphyreticam Constantini Imperatoris columnam in foro ejus sub plateae transitum constructa est. Marc.

4. Post supra scriptos sane Arianos, qui Hierosolymis ante Johannem episcopi fuerint, Idatius, qui haec scribit, scire non potuit. Hunc vero Sanctum cum Sanctis, Eulogio, Theophilo,

a) Mavult Basnagius cum Beda, qui ex Orosio p. 576 hausit, propter solam spem nominis.

b) Quod Basnagius sequenti demum anno factum esse contendit.

et Hieronymo vidit et infantulus et pupillus c)
Idat.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 408.

COSS. IN OCC. PHILIPPO, IN OR. BASSO. IND. VI.

1. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur, cum regnasset post obitum patris Theodosii annos 13. Pr. Aq. Marc. Cass. cf. a. 406, 2.

2. Honorius a) Imper. XLV., cum Theodosio minore, fratris filio, regnavit ann. 15. Pr. Aq. Cass. Isid. Beda.

3. Romae, in foro pacis per dies 7 terra mugitum dedit. Marc.

4. Uticae in foro Trajani terra diebus 7 mugitum dedit. Pr. Tiro.

c) Recte ad haec Roesler: Fateor, parum mihi haec verba placere; de Arianis enim suprascriptis ante Johannem quomodo et quare nunc loqui voluerit Idatius aut ubi antea locutus sit, non invenio. Scripsisset etiam, opinor, — ego Idatius — non potui — vidi. — Roesl.

a) De die et mense non ut de anno conveniunt scriptores. vid. Pagi.

5. Johannes, Comes Africae, occisus est a populo. Idem.

6. Stilico *b)*, Comes, cujus duae filiae, Maria et Thermantia, singulae uxores Honorii Principis fuere, utraque tamen virgo defuncta, spreto Honorii regno, regnumque ejus inhians, Alanorum, Suevorum Vandalorumque gentes, donis pecuniisque illectas, contra regnum Honorii excitavit. Marc.

7. (Idem) Eucherium *c)*, filium suum, Paganum, et adversum Christianos insidias molientem, cupiens Caesarem ordinare, cum eodem Eucherio dolo suo detecto occisus est. Marc. qua morte Stiliconis inter alia multum reipublicae consultum est, qui salutem Imperatoris tendebat insidias. Pr. Tiro.

9. Hoc imperante Gothi Romam capiunt. Isid.

8. Vandali quoque et Alani et Suevi Hispanias occupant. Isid. cf. a. 409, 1.

10. Alaricus, rex Gothorum, Romam invasit, partemque ejus cremavit incendio 9 cal. Sept. anno conditionis ejus 1164. ac sexto die, quam

b) Verba sunt Jornandis de Regnor. Success.

c) Etiam haec verba ejusd. Jornand.

ingressus fuerat, depraedata urbe, egressus est.
Beda. cf. a. 410, 1.

11. Nestorius, Constantinopolites Episcopus ad haeresin *d*), quae in Christo Deum ab homine separat, vertitur. Pr. Tiro.

12. Hoc tempore Cyrillus Alexandriae Episcopus insignis est habitus. Isid.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 409.

COSS. IN OCC. HONORIO VIII., IN OR. THEODO-
SIO JUNIORE III. IND. VII.

1. Alani, Vandali et Suevi Hispanias ingressi aera 447. Alii 4. cal., alii 3. id. Octobr. *a*) memorant die, 3. feriâ. Id. Pr. Aq. Cass. cf. a. 408. 9.

2. Attalus Romae imperator factus, qui mox privatus regno Gothis cohaesit (al. cessit).
Prosp. Aq.

d) Nestorius electus est Cplitanus Episcopus anno tantum 428, quo erupit ejus haeresis. Sic toto vicennio errat Prosp. Noris. Basnag.

a) Ab aliena manu haec sine dubio addita. Pagi.

3. Hac tempestate prae valetudine Romanorum *b)*, vires funditus attenuatae Britanniae. Pr. Tiro.

4. Apud Constantinopolim magna exarsit populi seditio panis scilicet penuria ingruente. Marc.

5. Proculus Massiliensis episcopus clarus habetur, quo annuente magna de suspecto adulterio Remedii episcopi quaestio agitur. Pr. Tiro.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 410.

COSS. IN OCC. FL. TERTULLO, IN OR. FL. VARANE, IND. VIII.

1. Alaricus rex Gothorum Romam orbis quondam victricem trepidam invasit, partemque ejus cremavit incendio, sextoque die quam ingressus fuerat saevissime depraedata urbe egressus est; indulsit tamen, cum et intra et extra urbem caedes agerentur, omnibus, qui ad san-

b) Inter varias lectiones haec ea est, quae sensum, qui ferri possit, admittit. Roesler.

ctorum limina confugerunt. (apud Cassiodorum: clementer usi sunt Gothi victoria). Ob hoc solus fuit orientalium partium consul, quod et sequenti anno observatum est. Prosp. Aq. et Tiro. Id. Marc. Cass. cf. a. 408. 10.

2. Placidia, Theodosii filia, Honorii imperatoris soror a Gothis in urbe capta et postea Ataulfo, Alarici propinquo, uxor data est. Id. Marc.

3. Alaricus moritur, cui Ataulfus succedit in regno *a*). Id.

4. Saxorum incursione devastatam Galliarum partem Vandali atque Alani vastavere; quod reliquum fuerat, Constantinus tyrannus obsidebat. Pr. Tiro.

5. Barbari, qui in Hispanias ingressi fuerant, caede depraedantur hostili. Id.

6. Maximam tamen ipsius terrae partem Suevi occupavere. Pr. Tiro.

7. Debaecchantibus per Hispanias Barbaris et saeviente nihilominus pestilentiae malo opes et conditam in urbibus substantiam tyrannicus exactor diripit et miles exhaurit. Fames dira grassatur adeo, ut humanae carnes ab humano genere

a) cf. Jornandes de reb. Get. c. 30.

vi famis fuerint devoratae, matres quoque necatis vel coctis per se natorum suorum sint pastae corporibus: bestiae occisorum gladio, fame, pestilentia, cadaveribus adsuetae, quosque hominum fortiores interimunt, eorum carnibus pastae passim in humani generis efferantur interitum: et ita quatuor plagis ferri, famis, pestilentiae, bestiarum ubique in toto orbe saevientibus praedictae a Domino per prophetas suos adnunciationes implentur. Id.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 411.

COS. IN OR. THEODOSIO JUN. IV. IND. 9.

1. Constantinus post triennium tyrannidis per Gallias invasae per Honorii duces, Constantium et Ulphilam, apud oppidum Arelatense victus captusque *a)* occiditur, caputque tyranni in conto XIV. kal. Octobr. affertur. Prosp. Aq. Tiro. Idat. in Fastis.

2. Ejus filius Constans, quem ex monacho Caesarem fecerat, *) orsum in Hispania regnare

a) Plura vide apud Gregor. Tur. II, 9. et Oros. VII., 42.

*) Confirmat haec Orosius VII., 41.

Gerontius comes in Maximum quendam tyrannidem transferens apud Viennam interemit *b*).
 Prosp. Aq. Marc.

3. Theodosius jun. decennalia, Honorius Romae vicennalia dedit. Marc.

4. Subversis memorata plagarum grassatione Hispaniae provinciis, Barbari ad pacem ineundam, domino miserante, conversi, sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Gallaeciam Wandali occupant et Suevi, sitam in extremitate Oceani maris occidua: Alani Lusitaniam et Charthaginensem provinciam: et Wandali, cognomine Silingi, Baeticam sortiuntur *c*). Hispani per civitates et castella residui a plagis, Barbarorum per provincias dominantium se subijciunt servituti *d*). Pr. Tiro.

b) Rem tangit Sozom. IX., 13.

c) De distributione Hispaniarum vid. Pagium ad. 411. §. 8.

d) Post hoc quoque continuo barbari exsecrati gladios suos ad aratra conversi sunt, residuosque Romanos, ut socios modo et amicos foveant, ut inveniantur jam inter eos, qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere. Oros. VII., 41.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 412.

COSS. IN OCC. FL. HOHORIO IX, IN OR. FL.
THEODOSIO JUN. V. IND. 10.

1. Maximo in Hispania, regno ablato, vita concessa est, eo quod modestia humilitasque hominis affectati imperii invidiam non merebatur *a*).
Prosp. Aq.

2. Gothi, rege Ataulfo, Gallias ingressi *b*).
Prosp. Aq.

3. Rursum alia praedatio Galliarum, Gothi, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes transgredientibus. Props. Tiro.

4. Jovinus et Sebastianus fratres intra Galliam et in Africa Heraclianus pari tyrannidis inflantur insania. Id.

a) Sed videtur tyrannidem resumsisse v. ad a. 422. Oros. VII., 42. Maximus (a Gerontio constitutus Imp.) exutus purpura destitutusque a militibus Gallicanis, qui in Africam trajecti, deinde in Italiam revocati sunt, nunc inter Barbaros in Hispania egens (innuit hoc annum fere 417.) exulat. Ro es l.

b) Idque ut plerisque placet ex pacto cum Honorio inito v. Gibbon. VII., 457. de quo tamen nihil certi ex scriptoribus constat, neque ex Orosio VII., 43 neque ex Jornande de reb. Get. c. 31. quos Gibbon citavit. Resistere tali pacto prope videtur, quod Tiro mox subjungit. Ro es l.

5. Jovinus et Sebastianus in Galliis tyrannidem molientes occisi sunt *c*). Marc. cf. a. 413. 3.

6. Attalus in mari captus atque Honorio exhibitus truncata manu vitae relictus est. Marc. cf. a. 409, 3.

7. Heros, vir sanctus et Beati Martini discipulus, quum Arelatensi oppido Episcopus praesideret, a populo ejusdem civitatis insons et nulli insimulationi obnoxius pulsus est, inque ejus locum Patroclus ordinatus amicus et familiaris Constantii, magistri militum, cujus per ipsum gratia quaerebatur. Quae res inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit. Prosp. Aq.

8. Augustinus Hippone regiensis Episcopus habetur insignis: inter cujus studia magna Donatistas ab eo, Dei adjutorio, superatos probata fides demonstrat auctorum *d*). Idat.

c) Tyrannidem quidem moliti hoc anno sunt, sed sequenti demum occisi sec. Pag. Ceterum duo ejusmodi Jovini comparebunt conferentibus a. 422. Roesl.

d) Nempe collatio Carthaginiensis, qua Donatistae causa cecidere, auctoritatem Augustini et merita non parum auxisse videbatur. Ceterum hoc ipso anno 412. etiam contra Pelagianos publice pugnare coepit. Roesl.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 413.

COSS. IN OCC. FL. HERACLIANO, IN OR. FL.
LUCIO. IND. 11.

1. Heraclianus comes Africae, itemque Lucii in consulatu collega cum septingentis et tribus millibus navium *a)* ad urbem adversus Honorium tendens Utriculi in Italia in conflictu superatus effugit in Africam, caesis in loco supra dicto quinquaginta millibus armatorum. Ipse post arrepta navi solus Carthaginem rediit, ibique illico per Honorium percussoribus missis occiditur. Prosp. Aq. Id. Marc.

2. Burgundiones partem Galliae propinquam Rheno obtinuerunt. Prosp. Aq. Cass.

3. Jovinus et Sebastianus fratres tyrannidem in Galliis per Constantinum invadunt. Prosp. Tiro, cf. a. 412. 4, 5.

a) Ronc. septingentis navibus et tribus militum millibus. Sed Orosius VII. 42. expresse hunc numerum habet, quem, inquit, ne apud Xerxem quidem fuisse historiae ferunt. Et reliqua etiam Marcellini plane ex Orosio heic descripta. Miscella quoque L. XIV. eadem ex Orosio refert. Unus Jornandes cum septingentis et tribus navibus armatis etc. scribit, de regnorum success. ed. Murat. p. 238. Roesl.

4. Industria viri strenui, qui solus tyrannis non cessit, Dardani, Ataulfus, qui post Alaricum Gothis imperitabat a societate Jovini avertitur. Prosp. Tiro.

5. Jovinus et Sebastianus oppressi ab Honorii ducibus Narbonae interfecti sunt, nec minus Sallustius. Prosp. Aq. Tiro. Id. in Chron. et in Fast.

6. Valentia nobilissima Galliarum civitas a Gothis effringitur, ad quam se fugiens Jovinus contulerat. Tiro.

7. Gothi Narbonam ingressi vindemiae tempore. Id.

8. Hac tempestate Pelagius Britto dogma nominis sui contra gratiam Christi, Caelestio et Juliano adjutoribus, exserit, multosque in suum errorem trahit. Praedicant, unumquemque ad justitiam voluntate propria regi tantumque accipere gratiae, quantum meruerit; quod peccatum Adae ipsum solum laeserit, non etiam posteros obstrinxerit: unde et volentibus possibile sit carere peccato: omnesque parvulos tam insontes nasci, quam primus homo ante praevaricationem fuit: nec ideo baptizandos, ut peccato exu-

antur, sed ut sacramento adoptionis honorentur.
 Prosp. Aq.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 414.
 COSS. IN OCC. FL. CONSTANTIO, IN OR. FL.
 CONSTANTE. IND. 12.

1. Attalus Gothorum consiliis et praesidio tyrannidem resumit in Galliis. Prosp. Aq.

2. Ingens in Galliis fames. Prosp. Tiro.

3. Aquitania Gothis tradita *a*). Idem.

4. Heraclianus, comes Africae, qui in Romanae urbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, nova quaedam molitus interimitur. Idem.

5. Ataulfus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo Prophetia Danielis putatur impleta, qui ait, filiam Regis Austri sociandam Regi Aquilonis; nullo tamen ejus ex ea semine subsistente. Id.

6. Pulcheria, Theodosii soror, Augusta appellata est. Marc.

a) Tradit Philostorgius XII., 4. Gothos ab Honorio pacto quodam partem Galliae ad agros extendendos obtinuisse, priusquam Placidiam atque Attalum Honorio tradidissent. Pagi.

7. Vallia, Rex Gothorum, facta cum Honorio principe pace, Placidiam, sororem ejus eidem viduam reddidit *b*). Marc.

8. Patroclus, Arelatensis episcopus, infami mercatu sacerdotia venditare ausus *c*). Prosp. Tiro.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 415.

COSS. IN OCC. HONORIO X, IN OR. THEODOSIO VI. IND. 13.

1. Attalus a Gothis in Hispanias migrantibus neglectus et praesidio carens capitur et Constantio patricio vivus offertur *a*). Prosp. Aq.

b) Ataulfi mors 24. Septbr., sed sequentis demum anni 415. nunciata fuit, succedente non Wallia immediate, sed Sigerico, qui tamen post paucos dies periit. Placidiam autem atque Attalum Gothi demum a. 416. Honorio reddidere. Orosius enim, qui a. 417. historiam suam absolvit, anno superiore id factum narrat Pagi a. 415. 25. sq.

c) Is ipse, qui Constantii favore Herotem expulerat. cf. Prosp. ad annum 412. n. 7.

a) cf. quae scribit Oros. VII., 6.

2. Ataulfus a quodam suorum vulneratus interiit regnumque ejus Wallia, peremtis *b*), qui idem cupere intelligebantur, invasit. Prosp. Aq.

3. Placidia, soror Imperatoris, diu captiva, postea etiam Regis uxor, Rege fraude sublato, Constantii connubio copulatur *c*). Pr. Tiro.

4. Sanctus Stephanus, primus martyr, seu, ut verbis Bedae utar (Opp. T. III., p. 188), locus sepulchri et reliquiarum Beati Protomartyris Stephani, simulque et Gamalielis ac Nicodemi, qui in evangelio et in actibus Apostolorum leguntur, revelatur S. Presb. Luciano d. VI. feria, quae fuit tunc III. Non. Dec. in Hierosolymis, St. Johanne, de quo supra (a. 399. 2.) episcopo praesidente. Id. in chron. et in fastis. Marc. Ipsam revelationem, Lucianus graeco sermone ad omnem ecclesiarum personam scripsit. Eandem Avitus presb., homo Hispanus genere in latinum vertit eloquium et adjecta epistola sua per Orosium Presb. Occidentalibus dedit, qui Orosius etiam ad loca sancta perveniens, quo eum Augustinus ad Hieronymum pro discenda animae ratione mi-

b) cf. Olympiodor. ap. Photium c. 80.

c) Nempe biennio post, a. 417. vid. Pagi.

serat, reliquias beati Stephani accepit et patriam reversus primus intulit Occidenti. Beda. cf. a. 416, 6.

5. Hieronymus, qui supra, praecipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebraeorum in lege Domini, quod scriptum est diurna nocturnaue meditatione continuus studia operis sui reliquit innumera, ad ultimum Pelagianorum sectam cum ejusdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. Adversum hos et alios haereticos extant ejus probatissima monumenta. Id. in chron.

6. Ecclesia Constantinopolitana, dudum igne cremata, restaurata, dedicataque est, Attico episcopo eandem regente ecclesiam. Marc.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 416.

COSS. THEODOSIO VII. ET PALLADIO, UTROQUE
IN ORIENTE. IND. 14.

1. Placidiam, Theodosii imperatoris filiam, quam Romae Gothi ceperant, quamque Ataulfus conjugem habuerat, Wallia, pacem Honorii expetens reddidit, ejusque nuptias Constantius promeretur. Pr. Aq. Id. Cass.

2. Gothi, cum se iterum Ataulfo perempto movissent, Constantii repelluntur occursum. Prosp. Tiro.

3. Ataulphus a Constantio Patricio pulsatus, ut relicta Narbona Hispanias peteret, per quendam Gothum apud Barcinonam inter familiares fabulas jugulatur. Cui succedens Wallia in regno cum Patricio Constantio, pace mox facta, Alanis et Wandalis Silingis, in Lusitania et Baetica sedentibus, adversatur. Id.

3. Fredibalum, regem gentis Wandalorum, sine ullo certamine ingeniose captum (Constantius) ad imperatorem Honorium destinat. Id.

4. Romanae Ecclesiae tricesimum nonum episcopatum suscipit Zosimus annis tribus (anno 1. mense 9. die 9. Roncallius) quo tempore Pelagianis jam a Papa Innocentio praedamnatis Afrorum vigore ac maxime Augustini episcopi industria et scientia resistebatur *a*). Pr. Aq.

5. Alexandrinae ecclesiae post Theophilum quis praesederit ignoravi haec scribens. Id.

6. Orosius, Presbyter Hispanici generis, septem Libros historiarum descripsit. Missus ab

a) Dissentit a nostro Pagius, quem vide ad. a.

Augustino Episcopo idem Orosius pro discenda animae ratione ad Hieronymum Presbyterum reliquias b. Stephani tunc nuper inventas rediens primus intulit Occidenti. Marc. cf. a. 415, 4.

7. Atticus, Constantinopolitanus Episcopus, scripsit ad Reginas, Arcadii Imperatoris filias de fide et virginitate valde egregium opus, in quo praeveniens Nestorianum dogma impugnat. Marc.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 417.

COSS. HONORIO XI, CONSTANTIO II, UTROQ.
IN. OCC. IND. 15.

1. Honorius Romam cum triumpho ingreditur a), praeunte currum ejus Attalo, quem Liparae vivere jussit exulem. Prosp. Aq.

2. Wallia, rex Gothorum, Romani nominis causa intra Hispanias caedes magnas efficit barbarorum b). Id.

3. Tenebrae in die factae sunt c). Marc.
(cf. a. 418.)

a) De ea re nihil auctores reliqui habent. Extant quidem numi, qui ejusmodi triumphum aut victoriam significant sed an de Attalo, interpretum unice opinio est. Roesl.

b) cf. Orosius VIII., c. ult.

c) Cf. Pagius.

4. Cybera, Asiae civitas, aliquantaque praedia terrae motu demersa. Marc.

5. Romae ecclesiae Zosimus *d*), XXXVIII. episcopus, sanctus ordinatus vixit annis tribus. Marc.

6. Praedestinatorum haeresis que ab Augustino accepisse dicitur initium his temporibus serpere exorsa. Pr. Tiro.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 418.

COSS. IN OCC. HONORIO XII, IN OR. THEODOSIO VIII. IND. 1.

1. Valentinianus, Constantii et Placidiae filius, nascitur sexto (alii: quinto) Non. Jul. *a*). Prosp. Aq.

d) Non hoc anno nisi 3. Febr. eclipsis solis erat, de qua hic sermo esse nequit. Sed. a. 418. d. 19. Jul. feria, non 5, sed 6 locum habuit, de qua Philostorgius XII., 8. scribit, solem tantopere defecisse, ut stellae quoque visae fuerint. Cf. ann. sq.

a) Olympiodorus memorat Valentinianum annos natum 5. Caesarem creatum, et septennem Augustum nuncupatum; postremum hoc factum a. 425 exeunte. Ergo ante annum sequentem natus non est Pagi.

2. Plinta Comes idemque rebellio *b)* apud Palaestinam provinciam delectus est. Marc.

3. Solis facta defectio die XIV. Kal. Aug., qui fuit sexta feria. Id. Marc. (cf. a. 417.)

4. Stella ab Oriente per septem menses (alii rectius: per Septembrem mensem) surgens ardensque apparuit. Marc.

5. Romanae ecclesiae tricesimus nonus praesidet episcopus Zosimus. Id.

6. Hoc tempore Constantius servus Christi, ex Vicario, Romae habitans et pro gratia Dei devotissime Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quae illum sanctis confessoribus sociaverunt. Pr. Aq.

7. Concilio apud Charthaginem habito 214 et amplius Episcoporum ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum haeresis Pelagiana damnata est. Pr. Aq.

b) Locus sine dubio corruptus; alii legunt deletus est, alii rebellium auctor — deletus est. Sicque restituendus, ut cum Plinta Consule sequenti anni conveniat.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 419.

COSS. IN OCC. FL. PLINTA, IN OR. FL. MONA-
XIO. IND. 2.

1. Constantinus patricius pacem firmat cum Wallia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania et quibusdam civitatibus confinium provinciarum. Pr. Aq.

2. Wandali Silingi in Baetica per Walliam Regem omnes extincti. Id. Chron.

3. Alani, qui Wandalis et Suevis potentantur, adeo caesi sunt a Gothis, ut extincto Atace, Rege ipsorum, pauci, qui superfuerant, abolito regni nomine, Gunderici Regis Wandalarum, qui in Gallaecia resederat, se patrocinio subjugarent. Id. Chron.

4. Gothi intermisso certamine, quod agebant, per Constantium ad Gallias revocati, sedes in Aquitanica a Tolosa usque ad Oceanum acceperunt. Wallia eorum Rege defuncto Theodorus succedit in regno. Id. Chron.

5. Inter Gundericum Wandalarum et Hermericum Suevorum Reges certamine orto, Suevi in Nervasis montibus obsidentur a Wandalis. Id. Chron.

6. Valentinianus junior apud Ravennam patre Constantio et Placidia matre V. Non. Jul. natus est. Id. Chron., Marc. (cf. a. 418. N. 1.)

7. In Gallicana regione in civitate Biterris multa signa effecta terrifica, Paulini epistola ejusdem civitatis episcopi enarrat ubique directa. Id. Chron.

8. Multae Palaestinae civitates villaeque terrae motu collapsae *a*). Marc.

9. Romanae ecclesiae quadragesimum episcopatum agit Bonifacius annis quatuor *b*). Pros. Aq.

10. Hoc tempore fit tertium schisma a Hilario Antipapa per Honorium Caesarem ejecto, quod duravit annis duobus *c*). Pros. Aq.

a) cf. Philostorg. XII., 8. qui horum prodigiorum mentionem facit.

b) Haec periocha a Roncallio post aliquot alios in annum superiorem non bene rejecta, apud eum dat Bonifacio annos 3, menses 8, dies 6. Roesl.

c) Primum Schisma fuerat Novatiani adversus Cornelium, secundum Ursicini contra Damasum, in tertio Clerus paene omnis Bonifacio adhaesit; Symmachus praefectus urb. cum perpaucis aliis Eulalio. Pag. Causa tandem Imperatoria auctoritate diremta est pro Bonifacio. Roesl.

11. Tricesimus nonus Xystus Romanam ecclesiam regit. Pros. Tiro. (cf. ad ann. 432).

12. Dominus noster J. Christus semper ubique totus et super montem Oliveti Hierosolymae vicinum sese de nube manifestavit. Marc.

13. Multae et tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes tam visu quam auditu perterritae atque credulae sacro Christi fonte ablutae sunt omniumque baptizatorum inimicis in tunicis Crux Christi salvatoris divinitatis metu ex templo impressa refulsit. Marc.

14. S. Johannes Hierosolymorum Episcopus, qui supra, epistolam dirigit per Ecclesiam orbis terrarum, quae habetur de signis terroribusque divinitus perpetratis. Id. in Fast.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 420.
COSS. IN OCC. CONSTANTIO III., IN OR. THEODOSIO JUN. IX. IND. 3.

1. Honorius apud Ravennam Constantium consortem sibi facit in regno *a*). Pr. Aq., Id. Chron., Cass.

a) Secund. Theophanem ad ann. Alex. 413. Constantius anno sequenti et Imperium obtinuit 8. Febr. et illud cum vita Sept. reliquit. Pagi.

2. Faramundus regnat in Francia *b*). Pr. Tiro.

3. Wandali Suevorum obsidione dimissa instante Asterio Hispaniarum comite subvicario Maurocello aliquantis Bracarae in exitu suo occisis relicta Gallaecia ad Baeticam transierunt. Id. Chron.

4. In Oriente tumultum milites excitarunt, ductoremque suum Maximum nomine extinxerunt. — Marc.

5. Solis hoc anno facta defectio *c*). Tiro.

6. Hieronymus presbyter moritur anno aetatis suae nonagesimo primo *d*), prid. cal. Octobr. Pr. Aq. et Beda.

7. Romanae ecclesiae Bonifacius XL. episcopus Sanctus ordinatus vixit annis tribus. Marc. cf. a. 419, 9.

b) Henschenius jam suspicabatur, quod admodum verisimile, hoc et cetera priscorum Regum Francorum nomina sero intrusa fuisse Prospero. Roesl.

c) Nulla erat hoc anno. Sed alia anni 418. sane per magna, huc retracta per errorem, ut videtur, librariorum. Roesl.

d) — Sec. Chron. Prosperi integrum a. 331. Basso et Ablavio Coss. Hieronymus natus est. Roesl.

8. In Perside in Christianos persecutio desaevit *e*). Marc.

ANNUS POST CHRISTUM NATUM 421.
COSS. IN OCC. AGRICOLA, IN OR. EUSTATHIO.
IND. 4.

1. Constantius imperator Ravennae moritur in suo tertio consulatu *a*). Pr. Aq. Id. Cass.

2. Maximus tyrannus Hispaniarum dominatum vi obtinet *b*). Tiro.

3. Theodosius Eudociam moecham duxit *c*). Arcadio patri suo in foro ejus super immanem columnam ingentem statuam idem Theodosius dedicavit. Marc.

e) Ne quis putet, desiisse hoc anno persecutionem, quae jam incepit, et quidem Isdegerde Rege et Vararane filio continuatore, unde etiam bellum natum. Cf. Theodor. V. 33. sq. Roesl.

a) Septimo Imperii mense vid. ad. ann. super. not. a.

b) cf. a. 412.

c) Ethnica erat, Athenais dicta, Leontii Heracliti Atheniensis Sophistae filia, post Eudocia compellata. Celebratae nuptiae VII. Id. Jun. Non Moecham eam Theophanes, sed virginem fecisse vult virtute insignem, cujus historiam late persequitur Chron. Paschale ad a. 420. Roesl.

4. Cisterna Aëtii confracta est *d*). Marc.

5. Romani cum Persis conflixerunt *e*). Marc.

6. Britanni Scottorum Pictorumque infestationem non ferentes Romam mittunt et, sui subjectione promissa, contra hostem auxilia flagitant, quibus statim missa Legio magnam Barbarorum multitudinem sternit, caeteros Britanniae finibus pellit, ac domum reversura praecepit sociis ad arcendos hostes murum trans insulam inter duomaria statuere, qui absque artifice magistro, magis cespite quam lapide factus nil operantibus profuit. Nam mox ut discessere Romani, adventus navibus prior hostis quasi maturam segetem obvia quaeque sibi caedit, calcat, devorat. Iterum petiti auxilia Romani advolant et caesum hostem trans maria fugant, conjunctisque sibi Britannis murum non terra, ut ante, pulvereum, sed saxo

d) Non dubito Lectionem (Roncallii) constructa est praeferre, remque ipsam cum loco Chronici Paschalis conferre, quod hoc anno immissam scribit aquam in cisternam Dominae Pulcheriae, quamquam apud Marcellinum, sive errore librarii, sive aliam ob causam, Aetii nuncupata sit. Roesl.

e) Chron. Pasch. ad h. a. renunciata est victoria de Persis relata mense Gorpiaeo VIII. Id. Septbr. die Martis, belli causa non una: potior tamen Christianorum vexatio fuisse videtur. Roesl.

solidum inter civitates, quae ibidem ob metum hostium fuerant factae, a mari usque ad mare collocant. Sed in littore meridiano maris, quia et inde hostis timebatur, turres per intervalla ad prospectum maris statuunt; sic valedicunt sociis, tanquam ultra non reversuri *f*). Beda.

Morbus gravis ac diuturnus me apud benevolos hujus programmatis lectores excusabit, quod in recensendis factis, quae chronographi suppeditant et in notis Roeslerianis inserendis substiterim, quae de meo autem addere in animo esset, maximam partem feliciori tempori et prosperiori valetudini servarim.

f) Priorem legationem Pagi huic anno, alteram sequenti tribuit; nec video quid, quo minus ei assentiamur, obstet.